



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 16. Thomas Pontiniaci.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

## §. XVI.

Sæcul. XII.  
A.C. 1164.*Thomas Pontiniaci.*

Thomas vero dolens, quod amicis suis tot ærumnarum causa esset, Pontiniaci degens rigorem pœnitentiæ auxit. Præter cilicium, quo corpus continuo *vit. 11. c. 15.* constringebat, & flagella, quibus se a suis secreto percuti jubebat, Monacho sibi ad mensam ministranti præcepit, ut sibi singulis diebus præter cibos delicia- tiores, qui ipsi apponebantur, etiam portionem communem totius Congregationis occulte præberet; nam animo constituerat, nullo alio ferculo refici. Ergo per aliquot dies nihil cibi nisi legumina exsiccata & insipida cepit, juxta mensuram, quæ tunc temporis in Ordine Cisterciensium servabatur. Sed istud alimentorum genus, ab illa lautitia, cui Thomas ab ineunte ætate adsueverat, usque adeo diversum, gravem ei morbum conciliavit, iterumque usum ciborum, sanitati suæ magis proficientium, repetere coactus est.

Inter hæc per nuncios hinc & inde *c. 16.* missos negotium inter Papam & Regem Angliæ agitabatur, de celebrando conventu, in quo de restituenda pace sermo conferi posset. Promisit Rex, se ea conditione venturum esse, si Thomas non veniret, nam, si ipse adesset, se nec Papam

Sæcul. XII.  
A.C. 1165.

pam invisurum. Contra Thomas Papa scripsit; ne se absente Regi colloqueretur. *Novi, inquit, bujus Principis ingenium. Fallet, S. Pater, facilitatem tuam, nisi intersit interpres, cui Regis astutia explorata sit.* His monitis instructus Papa Regi respondit, in hunc modum: *Res est de Ecclesiæ Romanæ benignitate inaudita, quemquam ideo solum fuisse rejectum, quod id fieri Princeps petierit, multo minus virum Justum in exilium pulsum. Quin potius id juris Sacræ Sedi est, ut Episcopos oppressos, indignantibus licet Principibus, foveat & tueatur.*

Ita celebrandi conventus propositum evanuit.

§. XVII.

*Comitia Herbipolensia.*

*to. 10. Conc. p. 1438.*  
*Guil. Neubr. II. c. 16.*  
*Chr. Reichersp. 83c.*  
*an. 1168.*  
*Lup. 1. ep. 72*  
In Germania Fridericus Imperator frequentissima Comitia Herbipoli in Francia vigesima tertia Maji in Festo Pentecostes anno millesimo centesimo sexagesimo quinto celebravit, quibus cum inter ceteros interesset Arnoldus, electus Archiepiscopus Colonienfis, dixit; Imperatorem contra Rolandum (ita Alexandrum Papam nominabat) nihil acturum esse, nisi consilium, quod modo suggesturus esset, sequeretur. Nam potior pars Imperii, inquit, Alexandro favet, ac præter alios Archiepiscopi Salisburgensis & Moguntinus. Ego vero ad obe-